

Heinrich Valentin Becker


Explicationem Verborum Nicodemi Io. III, 4. Tentat Et Dies Christi Natales Pie Celebrandos Pro More Indicit

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1772?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004038127>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1772. Weihn.

~~M-1256~~^{409.}

W. 1772

EXPLICATIONEM
VERBORVM NICODEMI

IO. III. 4.

TENTAT

ET

DIES CHRISTI NATALES

PIE CELEBRANDOS

PRO MORE INDICIT

ACADEMIAE RECTOR

HENRICVS VALENTINVS
BECKER

PHIL. D. ET PROF. AD AED. DIVI IAC. ARCHIDIAC.



ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

M. 1256 409

VERBODEN TOEGANG
TOEGANG VERBODEN

19. III. 4

DIES CHRISTI NATALIS

PIE CELEBRANDUS

PRO. HON. INDI. IT

ACADEMIAE RECTOR

HENRICVS V. ALF. K. TH. V.

BECKER


PHIL. D. ET PROF. AB ANS. DIVI INC. ACADEMIAE



ROSTOCHII

LITTERIS ADEPTIANTIS

Handwritten marks and scribbles in the bottom right corner.



Quum omnes Euangelii Ioannis interpretes, quorum certe, haud exiguus est numerus, multique, doctrinam de regeneratione scriptis explicantes, magni nominis Theologi operam dederunt, vt verba Nicodemi Ioh. III, 4. in lucem ponerent: mihi quidem, fore vt nouam dicto afferam lucem plus centies explicato, parum spei esse videtur. Interim, quae de hisce Nicodemi verbis meditatus sum, Vobiscum CIVES. O. O. HON. communicabo, quum nemo interpretum, quorum scripta euoluisset mihi datum fuit, de iis idem, quod iam ostendam, habuit iudicium. Nec opinor, quenquam fore adeo mihi iniurium, vt me solum sapere velle credat. Eruditorum examini hanc meam explicationem lubens subiicio, nec, si quis, ea qua par est modestia, erroris me conuicerit, errorem fateri me pudebit.

Nullus interpretum antiquioris et recentioris aetatis dubitat, quin verba Nicodemi in significato *proprio* sint sumenda. Et licet nemo sit, qui neget, Saluatorem metaphorice loqui, et verba, eius *Amen, amen, dico tibi, nisi quis genitus sit iterum, non potest videre regnum Dei*, improprie intelligenda esse: longe tamen aliter de Nicodemi obiectione sentiunt, et verba eius, *Quomodo potest quispiam nasci, qui sit senex? Num potest in uterum matris suae secundo introire et nasci?* sumunt vti iacent. In explicandis autem hisce verbis, quibus proprium tribuunt significatum, in duas abeunt partes.

ALII, et quidem plurimi eorum, adeo simplicis ingenii atque ignarum sibi fingunt Nicodemum, ut non intellexisset metaphoricam Christi dictionem, cui, cum haud aliam cogitare potuisset quam physicam et naturalem regenerationem, mirum fuerit, Seruatorem velle, ut homo senex denuo in vterum matris suae ingrediatur et generetur. Qui putant, Nicodemum non de quouis adulto, sed de se ipso sene loqui, et senum verborum esse: quomodo fieri potest, ut ego senex in vterum matris meae denuo introeam et nascar, in re ipsa cum reliquis consentiunt. Reiterationem natiuitatis naturalis Nicodemo in mentem venisse affirmant. Immo, haud raro inde occasionem sumunt vehementer inuehendi in hebetem et rudem Nicodemum; atque hoc exemplo illustrandi verba I Cor. II, 14. ALII ignorantiam huius Viri fictam fuisse putant et simulatam. Ut vnus ex populo videatur, nec agnoscat a Christo eruditio qua pollebat, et munus, quo fungebatur, honorificum, simplicitatem aiunt, plebeiam affectat, et quaerit quod idiota vix quaereret. HEVMANNO haec hypothesis ita arridet, ut Nicodemum vestes mutasse, et forma habituque corporis Iudaeum vilioris conditionis imitasse persuasum sibi habeat; quare pro manifestatione omniscientiae illa reputat Christi verba: *Tunc es magister Israelis, et haec non nosti?* Quibus explicationibus licet multi clarissimi interpretes subscribant, ut in iis acquiescam tamen a me impetrare haud potui: potissimum putavi, quod non deceat suspicari, Nicodemum animo cauillandi suam mouisse obiectionem. Nec suffecerunt, quae SEMLERVS in *Paraphrasi* iudicat: „Quod sic respondet „et quaerit, vtrum in matris vterum redeundum sit, videtur „ex consuetudine iudaici ingenii quaerere; qui *reçata* et portenta inusitata solebant informare, quae tempore Messiae locum habitura sint.„ Impossibilia enim, immo absurda, ad portenta, quae Iudaei sperabant, referre nequeo.

Non video quid impediatur, quo minus verba Nicodemi pari modo, quo verba Saluatoris, allegorice nimirum explicemus. Quae Christus dixit; *Nisi quis iterum genitus sit, regnum Dei videre nequit*, ex omnium consensu metaphoricè sunt intelligenda. Metaphoram credo, continuat Nicodemus opponens;

nens: *Quomodo homo generari potest, qui sit senex? Num potest vterum matris suae secundum ingredi et nasci?* Saluator respondens ad oppositionem iterum metaphora vtitur: *Amen, amen, dico tibi; nisi quis fuerit genitus ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Naturalis interpretandi modus iam requirit, haec verba arctissime cohaerentiã, seu potius, verba eiusdem colloqui vna eademque ratione exponere, nec iam propriam significationem, iam alienam vrgere. Saltem, haud inauditum est in confabulatione respondentem eodem tropo vti, quo vsus est loquens, et inuenimus Matth. XV, 26. 27. egregium exemplum talis colloqui, a quouis legente pro metaphora continuata agniti: *Non est bonum, inquit Saluator mulieri Cananaeae, sumere panem filiorum, et proiicere canibus. Certe, Domine, respondet mulier; Verum catelli etiam edunt de micis, de mensa dominorum suorum cadentibus.* Si tantum meminerimus, quam vulgare tempore Christi Iudaeis, ne dicam omnibus orientis incolis, fuerit metaphoricè loqui, et quam clarum atque consuetum hoc loquendi genus etiam indoctis fuerit: vix fieri poterit, vt verbis Nicodemi significationem propriam tribuamus, nisi credamus, Doctorem Israelis hebetioris fuisse ingenii ac vnus ex multis. Sed iam vberius demonstrabo, haec verba pro impropriis esse habenda, neutramque explicationum, adhuc ab interpretibus admissarum, locum inuenire.

Antequam hoc planum faciam, pauca praemittenda mihi sunt, ad rite determinandum sensum verborum Ioannis scitu necessaria. Taceo quae a doctis interpretibus docte sunt notata, quum fines horum pagellorum, vt breuitati studeam suadent, nec scopo meo inseruit varias eruditorum repetere sententias. Nihil ad rem facit, siue Nicodemum doctorem publicum sollempniter constitutum, siue praefectum synagogae, siue assessorem synedrii Iudaici fuisse statuas. Satis mihi est notasse, eum fuisse virum doctum, Pharisaicum, et ex summis inter Pharisaeos. Aequè minus curo, quare nocte ad Christum venerit Nicodemus? Vtrum formidine ductus et fidei imbecillitate, quia non auderet Christum in conspectu Iudaeorum agnoscere: quod maximam habere veritatis similitudinem

LAMPIVS ex Ioh. XIX, 39. ostendit; an noctem elegerit, vt eo melior illi sit occasio cum Christo colloquendi, per totum diem a populo confertim confluyente, circumdato; an vero miraculis, quae per diem viderat, adeo cupidus sermonis Christi factus sit, vt quam citissime, illa ipsa nocte, ad eum adueniret. Eligat quisque quam velit sententiam: nostra parum refert. Neque maiorem verbis affert lucem, siue Nicodemum, quum in plurali dicit *οἶδαμεν*, de principibus Iudaeorum et focis synedrii; siue de Pharisaeis; siue de omnibus Iudaeis; siue indefinite loqui affirmes. Nec tandem opus puto definire, quantum titulus *διδασκαλος* a nomine *προφητης* differat. Satis mihi est, quod quidem nemo inficias ibit, Nicodemum ex miraculis Iesu agnouisse, eum doctorem esse diuinitus missum et auctoritate diuina loquentem: vtrum pro Messia, an vero pro Propheta eum reputauerit, ignoro.

TRIA tantum mihi sunt disquirenda, antequam sensum verborum Nicodemi determinare valeam. PRIMVM est: vtrum *ἀνωθεν γεννηθῆναι* in ore sanctissimi Saluatoris, *denuo nasci*; an vero *superne nasci* significet. Generationem, de qua loquitur Redemptor, caelestem esse, nemo sanus negabit. Aequè minus negari potest, adverbium *ἀνωθεν* saepissime in sacro codice *superne* indicare: id quod dicta Ioh. III. 31. XIX. 11. Iac. I. 17. III. 15. 17. et reliqua euoluenti statim patebit. Fatendum quoque est, LIGHTFOOTVM, strenuum defensorum significationis e *supernis*, hanc alteri esse praeferendam, in *harm. Euangel. ad h. l.* haud leuibus rationibus confirmasse. Et, per antiquam esse hanc explicationem, plurimisque Patrum placere, SVICERVS *Tom. I. p. 396.* ostendit. Verum enim vero, quum Nicodemus verba Sospitatoris repetens phrasi *δεύτερον γεννηθῆναι* vtitur, nec, quasi errasset, a Christo reprehenditur: non alium significatum, nisi *denuo*, vocem ambiguam in loco nostro habere posse opinor. *Ἀνωθεν γεννηθῆναι* idem indicat, quod *παλιγγενεσία* Tit. III. 5. et *αναγέννησις* I Pet. I. 3. 23. et rite phrasin vertit b LUTHERVS.

ALTERAM iam mouebo quaestionem: Vtrum Nicodemus verba illa Christi intellexerit? *nisi quis genitus sit iterum, non potest,*

est videre regnum Dei. Hanc quaestionem affirmare nullus dubito. Nam 1) quid *denuo nasci* sibi velit, nescire non potuit Nicodemus, quum initiatio Profelytorum per baptismum eius tempore in usu esset, et ipsum nomen *regenerationis* ei non esset inauditum. 2) *Regnum Dei* sollemne erat nomen, quo tempora atque felicitatem regni Messiae appellabant Iudaei.

Haec me ducunt ad longam atque celebrem de baptismo Profelytorum controuersiam, quam tamen leuiter tantum tangere, pro instituti ratione mihi sufficit. Librum scriberem, si argumenta, quibus in vtramque partem disputatum est: vtrum baptismus Profelytorum ante Christi tempora inter Iudaeos in usu fuerit, repeterem. Breuem argumentorum syllabum CARPZOVIVS, decus illud quondam Lubecense, in *Apparatu antiquitatum S. C. annot. ad L. I. C. III. §. VII. Goodwini*, suppeditauit. In hoc libro auro cedroque digno, vt et in WALLI *historia baptismi infantum*, et quidem in *introductione*, nomina et scripta AINSWORTHII, SELDENI, HAMMONDI, LIGHTFOOTI, HOTTINGERI, DANZII in hac caasa percelebris, aliorumque aientis defensorum inuenies: quibus addas BVDDEVM in *Obseru. theol. de paedobaptismo, Parti III. Miscellaneor sacr. iufertis*, MOSHEMIVM *disp. de baptismo diluuii antitypo*, et, quem primum omnium nominare debuiffem, WALLVM loc. cit. Contrariae sententiae fautores inter notatu dignissimi sunt OWENVS, WERNSDORFFIVS DANZII aduersarius, FECHTIVS noster, ZELTNERVS, BOERNERVS, laudatus CARPZOVIVS, et qui WALLI *historiam baptismi* latine vertit, atque annotationibus auxit, SCHLOSSERVS Hamburgensium Theologus. Duae in hac controuersia quaestiones vexatae sunt: altera, de antiquitate baptismi Iudaeorum; altera, num baptismus Ioannis ei originem suam debeat. Mediam quasi viam incessit RVS *Lib. I. Cap. XIV. Harmoniae Euangel.* et, licet concedat, Profelytorum baptismum iam ante Ioannis tempora inter Iudaeos viguisse, negat tamen Ioannis baptismum ex illo traxisse originem. Quibus non datum est laudatos euoluere Auctores, legant prae aliis, si de hac controuersia erudiri velint, WALLVM l. c. LIGHTFOOTVM in *horis hebr. ad Math. III. 6. et harm. Euangel. ad Io. I. 25.* BVDDEVM in *Theol. dogm. L. V. Cap.*

Cap. I. §. II. baptismi Profelytorum defensi res, et qui instar omnium est, CARPZOVIVM negantis sententiae calculum adiacentem.

Caput controuersiae est: vtrum MOSIS MAIMONIDIS, docti illius et inclyti Iudaicorum rituum arbitri, qui saeculo duodecimo inclaruit; et vtriusque Talmudis, tam Hierosolymitani, anno 230 absoluti, quam Babylonici, circa annum 500 conflati, testimonia in hac caussa fidem mereantur: praesertim, vtrum, quae in Talmude, de R. ELIESERIS et R. IOSVAE, qui non multo fuerunt Ioanne Baptista iuniores, de baptismo, tanquam ritu dudum inter suos recepto, disputatione leguntur, digna sint attentione. Haec Iudaeorum testimonia nihili esse fidemque haud mereri, nemo adhuc grauius demonstrauit. Inficias tamen ire nequeo, aliter sentientium argumenta pariter haud flocci habenda nec pro leuioribus esse putanda. Equidem, parum ponderis in hac re, vt opinor, argumenta dogmatica habent. Sed, PHILONEM, IOSEPHVM, SYRACIDIS filium atque vetustiora Ebraeorum monumenta de ritu adeo sollemni altum tenere silentium, pleno iure vrgent baptismi Iudaici antiquitatem negantes. Verum enim vero, quum pondum palam factum est, Iudaeos nobis de hoc baptismo falsa et ficta, quae omni prorsus destituuntur veritate, narrasse: meo quidem iudicio, quae docent, pro veris reputanda sunt, licet alii taceant testes fide digni. Nec vereor, ne diuina baptismi Ioannis auctoritas atque institutio labascat, si crederes, ritum initiationis, qui iam inter Iudaeos in vsu fuit, a Deo adhibitum esse, vt eodem, qui tempore noui Testamenti in foedus gratiae recipiendi essent, initiarentur. Manet enim inter baptismum Profelytorum apud Iudaeos receptum, et inter baptismum Ioannis, maximum discrimen. Ille erat nuda caerimonia; hic diuina et sacramentali virtute fuit armatus: ille ritus mere humanus; hic ritus, qui, additis sanctioribus institutis, sacramentali vsu ac sublimiori longe fructu, in Ecclesiam Christianam transit. Quae a triumuiris pag praec. laudatis de hac re dicta sunt, cuius in ea haesitanti satisfacient.

MAIMONIDIS vt et Talmudis palmaria de baptismo Profelytorum, testimonia, licet satis nota sint, atque in omnibus eru-

eruditorum, qui de hac causa egerunt, scriptis legantur, ut repetam, quorundam Lectorum gratia non superfluum videretur. *) Satis luculenter ostendunt, ab omni aetate, ut ait MAIMONIDES, Profelytos in foedus cum Deo recipiendos, mediante baptismo fuisse initiatos. Pro recenter natis seu regenitis habebantur baptizati, nullaque illis cum consanguineis consuetudo: (adeo ut quidam recentiorum Rabbiorum dubitarent, vtrum sit incestus, si Profelytus post baptismum matrem suam uxorem duceret.) Nouum nomen, et noui veluti natales illis tribuebantur, ut adeo denuo veluti nati videri possent.

Quae

*) Ita etiam fit in temporis progressu. (omnibus saeculis, in omni aetate, vertit WALLVS) Circumcisio enim, et baptizatus et munus voluntarium requirebatur ab Ethnico quocunque, cui erat in votis, foedus inire, sub alas diuinae Maestatis seipsum obtegere, et legis iugum suscipere. Quodsi foemina esset requirebantur baptismus et oblatio. — Peregrinus, qui circumcisus est et non baptizatus, vel baptizatus et praeputiatus, non vocatur profelytus, donec et circumcisus fuerit et baptizatus. — Ethnicus, qui fit profelytus, et seruus, qui manumittitur, ecce ille est sicut paruulus iam natus. Sunt verba MAIMONIDIS iuxta versionem LIGHTFOOTI. Ex Talmude repetam disceptationem Rabbiorum supra notatam. Extraneus, qui circumcisus est, et non baptizatus, inquit Rabbi Eliezer, fit tamen profelytus: sic enim de patribus nostris circumcisus quidem, minus vero baptizatus, colligimus. Ecce, profelytus est, inquit Rabbi Iehoshua, qui baptizatus, non autem circumcisus est: sic enim colligimus a virginibus, quae baptizatae erant et praeputiatae. Aiunt vero sapien-

tes: Estne baptizatus et praeputiatus; vel, estne circumcisus et non baptizatus? Profelytus minus est, donec tum circumcisus fuerit, tum baptizatus. Pauca addam doctorum Talmudicorum testimonia. Israel non ingreditur foedus, nisi tribus hisce: circumcisio, baptismo et sacrificio salutari. Simili modo etiam profelyti. — Quum recipitur profelytus, circumcidendus est: tum vero, quando sanatus fuerit, baptizant eum. — Non ingrediuntur in foedus profelyti, nisi percircumcisionem baptismum et asperisionem sanguinis. — Profelytus quis factus, est sicut paruulus iam natus. — Sufficiant haec: Addam tamen vltimis verbis obseruationem SELDENI de jur. nat. et gent. juxta discipl. Ebr. L. II. cap. 4. „Quemadmodum, inquit, nouum sic „nomen profelytis accessit, ita etiam „natales plane noui. Adeo, ut simulae „initiatum, regeneratus haberetur. — Vnde venit, ut nulla ei deinceps „restaret pristina cogaatio, seu sanguinis relatio, nec fratrem, sororem, patrem, matrem, liberos ante „genitos omnino in suis haberet. „Nomina haec, etsi naturalia, esse „desicere.”

B

Quae omnia, quum Nicodemo, vt opinor, haud ignota fuerunt: Seruatorem, regenerationem non Ethnicorum tantum, sed et Iudaeorum vrgentem, plene intellexit.

2) Minus prolixiores esse possumus in probando, locutionem *regnum Dei* Nicodemo non fuisse inauditam. Hic enim loquendi modus et *regnum caelorum*, quae vnum idemque sensu sunt, tempora Messiae et eorum felicitatem significant. Matth. III, 2. IV. 17. X, 7. Luc. XVI, 16. XIII, 18, 20. XXIII. 51. rel. Iudaeos Christum, de regno Dei loquentem, intellexisse, (vt quae Rabbinum de regno Dei dicunt, silentio inuoluam,) patet ex Luc. XVII. 20, 21. IX, 27. XIX. 11. Hinc negari nequit, Nicodemum, de felicitate per Messiam obtinenda, verba Sospitatoris esse interpretatum. Caeterum, monuisse haud opus est, regenerationem ac baptismum Iudaicum a baptismo Ioannis et Christi toto caelo distare: et, Iudaeos cum Nicodemo, licet locutionem *regnum Dei* nossent, mysterium tamen regni caelorum ignorasse, immo, longe aliud sibi fingentes regnum, atque corporeas voluptates sperantes, falsas de regno Christi fouisse sententias. Id quod tyronibus patet.

TERTIVM adhuc restat disquirendum: Quenam fuerit, quam tacet Euangelista, Nicodemi quaestio responsioni Christi praemittenda, vt nexus dictorum oriatur? Nicodemum enim aliquid quaesivisse, aut a Christo institutionem rogasse, nec verba Saluatoris cum illius allocutione cohaerere, ex intuitu patet. Recte SEMLERVS obseruat, versu 2do deesse signum orationis continuatae etc. etc. Sed, de hac, quam Ioannes silentio praeteriit, Nicodemi quaestione, varie sentiunt theologi, et non sine oblectamento diuersas Patrum sententias in LIGHTFOOTI *harmonia* collectas, nouorumque interpretum in *Criticis Anglicanis* et aliis scriptis legi. Omnium optime GROTIUS, me quidem iudice, connexionem formauit, nimirum "velle Nicodemum scire, quandoquidem Iesus *regni caelestis* inter docendum mentionem saepe faceret, quae ratio esset eo perueniendi."

ILLVM ea propter ad Iesum venisse, vt diuinam eius doctrinam diligentius hauriret, ac de regno Messiae erigendo edoceret, luce clarius est. Nec alii quaestioni responsio Sospitatoris prior magis conuenit, atque huic: Qua ratione homines regno

gno Messiae sint initiandi? Aut, si mauis; Num Iudaeo opus sit baptismo et mentis mutatione, vt beatitudinis in regno Messiae particeps fiat? Constat, Ioannem baptizasse, populumque, antequam Christus coram eo se ostenderet, vt deponerent vitiorum et peccatorum sordes, quibus polluti erant, hortasse. Pharisaeorum Sadducaeorumque multos scimus, a Ioanne esse baptizatos, alios e contrario consilium Dei repudiasse. Hi, ex praeconcepta Iudaea opinione, de baptismo Ioannis sinistre iudicantes, aequè minus sanctum lauacrum ad salutem sibi necessarium duxerunt, ac IOSEPHVS, qui, licet Baptistam veneretur, de scopo baptismi erronee sentit. Notum est hoc IOSEPHI in lib. *XVIII Antiq. Iud. cap. VII.* de Ioanne Baptista testimonium: „Virum bonum „eum fuisse, qui Iudaeos ad virtutis studium excitaret, praeci- „piens. vt iuste quidem inter se, erga Deum autem pie agentes „ad Baptismum accederent. Deo enim ita acceptum fore dixit- „se, lauacrum, quum eo non ad expiationem criminum quorun- „dam vterentur, sed ad corporis munditiam, vtpote mente „jam antea per iustitiam purificata.“ Baptista tamen, quum baptismum vna cum animorum atque affectuum mutatione remedium effugiendi iram diuinam declararet, ansam Nicodemo praebere videtur, Christum, Doctorem a Deo missum, magnisque miraculis legationem diuinam demonstrantem adeundi, et ab illo quaerendi: vtrum baptismo opus sit Iudaeo, vt in regno Messiae felicitatis promissae particeps fiat.

Haec praemissa viam muniunt ad verba Nicodemi explicanda. Quum Seruator ad quaestionem eius iam commemoratam respondisset: „Vtique baptismum esse necessarium, et „nisi quis denuo nascatur, i. e. baptizetur, ac aliam mentem induat, fieri non posse, vt regni Messiae particeps euadat: „opponit ille, πῶς δύναται ἄθραπος γεννηθῆναι γέροντων; μή δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρός αὐτῆ δεύτερον εἰσελθεῖν, καὶ γεννηθῆναι; Miratur Nicodemus Christi responsionem, non quidem ex ignorantia et peruersa verborum interpretatione. Adeo stupidum doctorem Israelis mihi haud effingo, vt generationem naturalem repetendam esse sibi imaginatus fuerit. Immo, plene intellexit verba Christi: quae tamen, a mente eius ita erant aliena, vt maximam ei mouerent admirationem, Iudaei, multum sibi prae aliis gentibus apud Deum tribue-

tribuere soliti, satis sibi putarunt ad participandum regnum caelorum, vel felicitatem temporum Messiae, quod filii forent Abrahami et de semine Israelitico. Se solos *regni filios* natos et proprios esse Math. VIII. 12. ipsis persuaserat: sed, omnes a cultu Israelitico alienos pro *nondum natis*; Pl. CX. 3. et profelytos baptizatos pro *recens natis infantibus* habebant, ipsum baptismum *nouam generationem* vocantes. Proinde se ipsos *natos* immo *adultos* credebant quibus generatio haud opus, quin etiam impossibilis esset. Ab hac praecipitata Iudaeorum opinione proficiscuntur, quae Nicodemus Seruatori opponit: „Num etiam Iudaeus, qui est filius Abrahami, (hinc filius Dei) baptizari, et hac ratione regni caelorum particeps fieri debet?“ Allegorice autem loquitur Nicodemus, et continuat ita metaphoram, qua vsus erat Seruator. *Quomodo potest quispiam nasci QVISIT SENEX? Num potest in vterum matris suae secundo intrare et nasci?* Non de *homine* sed de *sene* quaestio est Nicodemo: *ἀνθρώπος γέροντων*, sunt verba, quibus vitur. Infantem (Profelytum) nasci, notum ei erat: sed *SENEM* nasci; Iudaeum simili modo generari, quo isti a gentibus impuris regenerari debebant, aequae inauditam, ac si quis diceret, adultum iterata vice in vterum matris introire et nasci.

Hanc si sumis verborum Nicodemi interpretationem, omnia in dialogo Christi cum hoc viro optime cohaerent, et luce sunt clariora, quorum nec cohaerentia ostendi, nec clara explicatio suppeditari potest, quando Nicodemum, absque metaphora, de physica hominis senis generatione loquentem credimus. Nulla enim quartum inter et quintum comma connectio deprehenditur. Ignorantiam, immo stupiditatem Nicodemi non accusat Christus; nec alia aut clariora eum docet: neque omnino ad dubia viri, sensum dictorum, ut putant, haud capientis respondet. Semel dicta repetit tantum, eadem vtens metaphora, qua vsus fuerat, solummodo addens, non ex aqua sola esse nouam generationem, sed ex aqua et spiritu: quae quidem verba, vtrum clariora fuerint Nicodemo regenerationem plane ignorant, valde dubito. Saltem culpasset Seruator errorem viri, si erroris argui potuisset. Reprehensio: *Tunc es doctor Israelis et haec ignoras?* ad quaestionem commatis quarti non referenda est,

est, quasi Seruator simplicitatem Doctoris Israelitici reprehenderet; sed ad ea, quae Nicodemus in sequentibus dixit. Et, simile de vento in commate octauo, quomodo, vulgari dialogi expositione seruata, arcte cum reliquis verbis connectatur, et distincte explicetur, alii videant.

Liceat mihi, Nicodemum metaphoram vsurpasse defendenti, paraphrasi quadam tentare, vtrum hac ratione arctior cohaerentia et maior lux huius dialogi Christum inter et Nicodemum, oriatur.

Nicodemus miratus, Ioannem regnum Messiae annunciantem Iudaeos baptizare, atque mentis mutationem acriter vrgere, quaerit a Iesu, quem diuinitus missum ex miraculis agnouit: Quenam ratio esset perueniendi in regnum Messiae? Respondet Christus: (v. 3.) Regeneratione omnibus opus esse, et qui non denuo nascatur, eum non posse regni Messiae participem fieri. Mirum videtur Nicodemo, Iudaeos, Abrahami filios, ac pro sua sententia, felicitatis in regno Messiae heredes aequae debere regenerari, ac Profetyti ex gentibus. Quare, continuans metaphoras, quas Christus vsurpauerat, opponit: (v. 4) Sed homo iam senex quomodo renasci potest? Num denuo debet in vterum matris suae introire et nasci? Ad haec respondet Seruator: (v. 5) Vtique res ita se habet. Amen, amen, dico tibi; nisi quis nascatur ex aqua et spiritu, non poterit regnum Dei intrare. Addit Salvator rationem: (v. 6) quoniam Iudaei, licet Abrahae sint filii, et a Patriarchis genus deriuent, ex carne tamen nati, hinc peccato polluti sunt; generatione autem ex spiritu omni opus est, qui regni caelorum particeps vult fieri. Continuat sermonem: (v. 7) Ne mirum videatur, inquit, quod dixerim, vos IUDAEOS denuo nasci oportere. Ad genesin vestram ac ortum ab Abrahamo, in diebus Messiae haud amplius attenditur. Ventus flat hac illa in regione, sonum eius audis, ignoras tamen vnde oriatur, et quo se vertat ac resideat: sic se habet cum omni, qui ex spiritu est generatus. Ortus naturalis, parentes, patria, genus non faciunt amplius inter homines discrimen. Frustra quaeres originem vnus cuiusque, qui ex spiritu natus est, in hac terra: non tantum in Palaestina ex Iudaeis nascuntur ciues regni Dei, et fines Palaestinae non

sunt regni Dei termini. Nicodemus inaudita audiens, quaestionem de rei veritate et certitudine mouet: (v. 9) Quomodo haec, quae dicis, fieri possunt? Quomodo concipi potest, ortum ab Abrahamo nihil valere, et, qui sunt de semine Israelitico non melioris esse conditionis ac gentiles? Pudefacit Christus (v. 10) ignorantiam viri, quum ille, Doctor Israelis, ex Prophetarum vaticiniis nosse debuisset, gentes pariter ac Iudaeos regni Messiae fore heredes, et discrimen populos inter tempore Messiae sublatum iri. Denuo affirmat Seruator (v. 11.) quod vera dixerit, et suum de hac re testimonium fidem mereatur.

Duo tantum huic paraphrasi adiiciam: 1) Generatio ex aqua et spiritu quid sibi velit, haud exposui, quum nimis longe haec a scopo me abducerent. Reformatorum doctores, tantum non omnes, HAMMONDVM ENIM, DODDRIDGIUM, aliosque magui nominis theologos excipias, negant ὕδωρ baptismum indicare. CALVINVM in *Lib. IV. instit. CXVI. Sect. XXV.* ita sequuntur: et, vel ὕδωρ et πνεῦμα vnum idemque esse reputant; vel *aquam* de gratia Dei sordes abluente; vel de sanctimonia; vel de doctrina euangelii; vel, vti facit LAMPIVS, de oboedientia Christi explicant. Quorum vestigia premunt Remonstrantium haud pauci, inter quos est acutissimus LIMBORCHIVS aquam spirituales intelligens. Et ita, pro sua de efficacia baptismi doctrina, sentire debent. Quum nostri Theologi satis superque ostenderunt, de generatione per baptismum et Spiritum S. esse sermonem: ego quidem hoc labore possum superfedere. 2) In expositione commatis octaui verba SEMLERI ex parte mutuavi, quae mentem meam rite exprimunt: alia, quae Vir doctissimus in Paraphrasi huius dialogi hinc inde sentit, meum non est defendere. Coeterum, qui simili de vento modum regenerationis incognitum illustrare volunt, iis omnino non contradicam.

Fauet nostrae verborum Nicodemi interpretationi, quod parallelismo sacri codicis conueniat. Quod enim Iudaei, ob ortum ab Abrahamo, arroganter de se senserint, et tanquam filii Dei nati ac proprii haud opus putarint baptismo atque mentis mutatione generari, ac a peccatis liberari, historiae Io. VIII.

VIII. 37—41. Math. III. 7—10. diferte loquuntur. Verba autem I Pet. II. 2. Ebr. V. 13. innuunt, receptum fuisse, baptizatos, qui non ita pridem foedus cum Deo fecerant, infantes recens natos vocare. Quare explicatio nostra nouis hisce rationibus confirmatur.

Silentio praeterire non possum quae WALLVS in *introductione ad histor. bapt. infant. p. 96. edit. Schlosser.* habet. Recte sentit vir doctissimus, verba Saluatoris; *nisi quis denuo natus fuerit, non poterit diuinum regnum videre*, locutionem esse eo tempore Iudaeis familiarem, neque in hac ratione dicendi quidquam nouum esse, nisi, quod gentiles quidem, regnum Dei incessuros, Iudaei nossent noua generatione opus habere; sed vnumquemque seu Iudaeum, seu Gentilem, sic renasci debere, Nicodemo Christus adseueraret. In eo autem, quod pace viri docti dicam, errat WALLVS, quod pro vulgari sententia, opinetur, Nicodemum, propriam vocabulorum significationem animo concipientem, mentem Seruatoris non esse adsequutum. SCHLOSSERS in annotatis reprehendit Auctorem cum SELDENO, de sententia hac omnino improbabili; Pharisaicum, eumque gentis suae doctorem et principem, suorum in profelytis initiandis disciplinam moresque non agnouisse, et inauditum ei fuisse, quid regeneratio per aquas et noui natales significare quirent. Addit: „Si nouit tamen, agnouitque, aliquam regenerationem per profelytismum fieri, non erat, cur, fieri nouam hominis generationem posse, in dubium reuocaret, vel negaret omnino. Neque enim de *Israelita* interrogat, verum de homine quocumque. *Quo pacto possit HOMO nasci, qui sit sinex?* Neque omnino de physica natiuitate iteranda cogitaturum fuisse probabile est, qui allegorico vocabuli regenerationis vsui iamiam esset adsuetus.“ Ita SCHLOSSERS, qui hac concludendi ratione id sibi vult, vt opinionem de antiquitate baptismi profelytorum praediudicatam ac fundamento destitutam esse ostendar. Legi et relegi SCHLOSSERI argumentum, sed, fateor, eo non sum ductus, vt sententiam de profelytismo Iudaeorum, meamque verborum Nicodemi explanationem repudiarem. Nicodemum non de *homine quocumque*; sed de *Israelita* quaerere, nisi iis, quae supra dixi, nimium fidam,

dam, satis superque probaui. Fallitur cum WALLO SCHLOSSERVS, quod affirmat, Nicodemum physicam generationem in animo habuisse. Si Nicodemus eandem, quam Christus, metaphoram vsurpauit, quod quidem negari nequit: neque, regenerationem per aquam ei fuisse inauditam; neque, opiuiorem de profelytorum baptismo esse praeiudicatam, ex eius verbis colligi potest.

Quam Vobiscum communicauit, CIVES HON. de sensu verborum Nicodemi sententiam, licet nullus interpretum, quantum ego quidem scio, ostenderit, Frater tamen noster dilectissimus, Dn. M. PET. HERM. BECKER, Ecclesiae Iacobaeae apud Lubecenses Pastor, hoc anno, in oratione, Dominica Trinitatis pro concione habita, (pag. 153. conspectus) duobus verbis et vt cathedrae ecclesiasticae conuenit, declarauit.

Nos, CIVES HON. in his, quae instant, sacris IESV CHRISTI natalitiis, memores simus, neminem insignium, quae Filius Dei suo in mundum aduentu nobis praestitit, beneficiorum participem fieri, nisi sit regeneritus. Quaeramus, an filiis Dei nos ipsos iure annumerare valeamus. *Scimus*, inquit *Ioannes*, quod omnis qui natus est ex Deo non peccet, sed qui natus est ex Deo obseruat se ipsum, et malignus non tanget eum I Ep. V, 18. Ita vero celebremus dies hos festos, vt abnegata impietate et mundanis concupiscentiis, sobrie, iuste, et pie viuamus, animosque moresque exemplari perfectissimo Seruatoris nostri conformemus.

P. P. SVB SIGILLO RECTORALI
FER. I. NATALIS CHRISTI.
MDCCLXXII.



VIII. 37—41. Math. III. 7—10. diferte loqu
autem I Pet. II. 2. Ebr. V. 13. innuunt, receptu
zatos, qui non ita pridem foedus cum Deo fece
recens natos vocare. Quare explicatio nost
rationibus confirmatur.

Silentio praeterire non possum quae WAL
Etione ad histor. bapt. infant. p. 96. edit. Schlosser.
sentit vir doctissimus, verba Saluatoris; *nisi quae*
fuerit, non poterit divinum regnum videre, locutione
pore Iudaeis familiarem, neque in hac ratione
quam nouum esse, nisi, quod gentiles quidem
inceffuros, Iudaei nossent noua generatione op
vnumquemque seu Iudaeum, seu Gentilem, sic
Nicodemo Christus adscueraret. In eo autem,
docti dicam, errat WALLVS, quod pro vulgari
netur, Nicodemum, propriam vocabulorum
animo concipientem, mentem Seruatoris non esse
SCHLOSSERVS in annotatis reprehendit Aucto
DENO, de sententia hac omnino improbabili; Phi
que gentis suae doctorem et principem, suorum
initiandis disciplinam moresque non agnouisse
ei fuisse, quid regeneratio per aquas et noui nat
quirent. Addit: „Si nouit tamen, agnouitque,
„nerationem per profelytismum fieri, non erat
„uam hominis generationem posse, in dubium
„negaret omnino. Neque enim de *Israelita* inte
„de homine quocumque. *Quo pacto possit HO*
„sit *sinex*? Neque omnino de physica natiuitate
„taturum fuisse probabile est, qui allegorico vo
„rationis vsui iamiam esset adfuetus.“ Ita SCHL
hac concludendi ratione id sibi vult, vt opinion
tate baptismi profelytorum praeiudicatam ac fi
stitutam esse ostendar. Legi et relegi SCHLOSS
tum, sed, fateor, eo non sum ductus, vt sententi
lytismo Iudaeorum, meamque verborum Nicod
tionem repudiarem. Nicodemum non de *honi*
ted de *Israelita* quacrere, nisi iis, quae supra d

